



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

caput decimum. Philippus ex Anglia descendit. Maria Regina moritur.  
Catholica religio proscribitur. Elisabetha Regina proclamatur: & pro capite  
Ecclesiae se fert.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

muni dispensatione ac confirmatione non contenti, singuli veniam prioris culpæ & confirmationem in suo quisque Episcopatu à Pontifice petierunt, uno Landaffensi excepto, qui solus postea sub Elisabetha in schisma relapsus est.

Circa id tempus Guilielmus Thomasonus, qui Eduardo VI. à secretis fuerat, ad furcas Tiburnas Londini laqueo strangulatus est, eò quod regis ac reginæ occidendorum, cum quibusdam alijs consilium cepisset. Hac coniuratione eò ipso die qui executioni destinatus erat, decedens, rex à regina ac publico aliquamdiu abstinerunt. Interea passim multi hæresicos damnati & combusti sunt, inter quos fuerunt Hopperus Episcopus Glocestrensis, Bradfordus, Sanderus, alij, nobili plerique loco nati.

VI. Ad VII. Februarij ampla & honorifica legatio ad Pontificem decreta per Episcopum Eusebium Montis acuti regulum & Eduardum Carnetum I. C. Reginæ & Philippi nomine obedientiam supra memoratam Sedi Romanæ & Pontifici præstitere. Ad Academijs autem, vehementer, ut ex Rescij & Andrea Philopatri scriptis facile colligi potest, corruptas, in antiquum splendorem & disciplinam restituendas, Polus præter ceteros misit Nicolaum Ormanetum, Patavinum postea Episcopum, qui Oxonij & Cantabrigiæ Collegia omnia ad normam prisca gubernationis reduxit. Nulla vero re & reges & Cardinalis de Academijs melius sunt meriti, quam quod Petrum à Soto, Dominicani Ordinis, Carolo V. olim à Confessionibus, Professore Theologiæ constituerunt, ut à Petro Martyre omnia paulo antedicta reedificaret: quod & ille brevissimo tempore perfecit. Ita ergo Academijs & Republica ab hæresicos facibus, quantum fieri potuit, purgatis, restituantur ac ornantur passim templa, eriguntur & consecrantur altaria, collegia nova amplissimis cum dotibus fundantur, cœnobiatez edificantur, tota denique Ecclesia mirum in modum restituit. Ad sanctum sacrificium & alia sacramenta plebs alacri studio concurrat: in primis vero ad sacramentum Confirmationis, quod in illa gente supra quam in ulla alia natione frequentatur & colitur, tam frequens turba confluebat, ut Episcopi pæne opprimerentur. Certe constat Cestrensem Episcopum, quum nec irruentium vim ferre, nec omnibus satisfacere posset, vix & non nisi magna Magistratus civilis superveniens diligentia, à plebis concussione liberatum fuis-

se. Mense Martio iterum coniuratio in regis, reginæ & omnium Hispanorum caput, in lucem protrahata & punita est. Regina vero Hiberni cuiusdam Medici curæ valetudinem suam commisit, & pharmaco usa, nullum deinde amplius ferus, quem purabat, motum sensit. Multæ etiam Cruces & Sanctorum imagines, ignotis auctoribus, Londini deiectæ & contractæ sunt, adeo inquieta sunt regina quæ semel locustas illas apocalypticas de puteo abyssi emissas admiserunt, coronas in capitibus suis gestantes, magistratus turbantes.

PHILIPPVS EX ANGLIA DISCEDIT. Maria regina moritur. Catholica religio proscibitur. Elisabetha regina proclamatur: & pto Capite Ecclesiæ se fert.

## CAPIT. X.

## ARGUMENTUM.

- I. Insans in cunis loquitur, quod sequentium malorum fuit præsagium.
- II. Philippus ex Anglia in Hispaniam navigat, nunquam eo postea reuerurus.
- III. Maria regina moritur: cui Elisabetha, si regno potiretur, multa præclare promittit.
- IV. Sed Londini recepta ac regina proclamata, religionem mutat: & cur. Quælibet eius regni fuerint initia.
- V. Episcopi publico in conventu Regina primatui contradicunt: sed illa varijs prætextibus vitatur.
- VI. Schisma Anglicana Ecclesia ab ipsis regibus profectum.

I. **C**apiti huic tam Mariæ reginæ excessus, quam totius Anglicani felicitatis exitus initium dabit, Elisabetha ad regnum admota, quæ hæresin statim iniecit. Præter cruces vero & imagines sanctorum deiectas, quæ non levia futurorum erant auguria, Londini & alibi multi tam in Deum & religionem quam regem & reginam contumeliosi libelli in vulgus sparsi sunt, quorum tamen auctores nullo modo peruestigari potuerunt. Et hæc quidem ab hominibus tum dicta & facta sunt: Deus ipse quo-

quoque loqui tandem voluit. Mense enim Aprili Londini infans natus fuit, qui morbo correptus, XV. dies natiuitatis non minus articulare & distincte cum praesentibus loquutus est, quam prout aliquis septennis, illud subinde repetens, *Orate, Orate*: donec tandem die XXV. fato fuit perfunctus. Interim adolescens XVIII. annorum prodijt, ab Anglis quibusdam inductus, ut pro Eduardo VI. Rege, cuius vultum & lineamenta egregie referebat, sese ferret. Nonnulli hoc facinus eorum adscribebant malitiae, qui misero illi hoc ita vere se habere persuaferant, & ei tamquam Regi haecenus seruiant: alij vero rei quamvis fictae lubenter fidem habebant. Fraudis eiusmodi color est inductus hac fabella in vulgus sparsa: nimirum, alium pro Eduardo VI. quasi mortuo suppositum fuisse, ipsam vero & Mariae & Northumbrij, (Joannam reginam facere omnibus modis conantis insidias veritum fuga & occultatione saluti suae consuluisse. Jamque fidem multis rei habentibus, parum a seditione aberat, nisi impostor comprehensus, & triduo virgis publice caesus, ad perpetuam carcerem fuisset damnatus: e quo quum postea esset liberatus, nec tamen cessaret deperire, tandem ad furcas Tiburnas fuit suspensus. Nec sane novum hoc aut inusitatum imposturae est genus, quo etiam mortuos adhuc vivere sepe etiam prudentioribus fuit persuasum. Arremonem aiunt Antiocho regi totius corporis confirmatione ita similem fuisse, ut Laodice ipsius uxor, eius opera in regno cui velle resignando, usa sit. Vibius artifex & Publicius seruus Pompeio, Scapion Scipioni, Salustius petaurista alteri Scipioni & vultu & omnibus corporis lineamentis per similes fuerunt. Romae quidem in arena duo gladiatores duos Consules, & Myrmillo bubulcus Seuerum Imperatorem vultu & corporis modo retulisse perhibentur, Etsi vero similibus imposturarum exempla etiam alibi multa occurrunt, facillime prudentiores quum ex hoc etiam ex alijs grandem malum regno imminere augurabantur: quamuis rum omnia summam Ecclesiae tranquillitatem vulgo spondere videbantur. Quod quidem augurum minime vanum fuisse exitus, cum magno totius Christianae reipublicae damno docuit.

II. Accessit ad publicae hae miseriae indicia domestica reginae calamitas, e duorum ipsi proxima cognatione iunctarum feminarum leuitate vel probro potius orta. Quorum una filia fororis

Henrici VIII. Suffolcico Duci ante nupta, post mortem mariti, refragantibus amicis, Nobili quidem, sed priuato homini nupsit, tanto maiori cum probro, quod ante nuptias consuetudinem cum eo habuisse diceretur. Altera vero Varuicensis Comitissa, Ducis Somerseriani filia, mortem marito (quidam etiam viuo eo id factum affirmant) eodem tempore duobus ex infima Nobilitate, nec vlla opulentia, aut alia virtute commendatis, matrimonium promisit, & ad promissi confirmationem, corporis potestatem fecit, neutro quod alteri res cum illa esset, sciente, ac re tum demum quum ab illa promissum vterque matrimonium exigerent, intellecta. Id regina grauius admodum tulit, & alteri quidem initio custodiam apposuit, postea vero ei qui primus consuetudinem cum ea habuit, nuprum eam dedit.

XVII. Junij An. 1555. Londini Ioannae Aragoniae, Caroli V. matris exsequiae celebratae sunt. XXVIII. Augusti rumor de reginae morte incerto auctore percubuit: quem vt refutarent, rex & regina, comitante Pontificis Legato, Grenuicum aspectante populo, secesserunt. Triduo post Philippus in Belgium ad Carolum patrem traiecit ob bellum graue inter Gallos ac Caesarem, Magna rum erat per totum Angliae regnum annonae caritas. In agro Norfolkienſi planities est, tota saxis & serupis referta, vbi non frumentum, sed ne herba quidem vniquam antea prouenit: quae sine vilo hominum labore tum magnam pisorum & radicum praedulcium vim produxit; singulari Dei miraculo, suos etiam in deserto pascentis Nobilem regij Legati Noallij familiarem narrantem audiui, e radicibus domum perlatis nouas protuberasse: eosque fructus, se praesente, praedicto Legato, vt & Portugalliae regis & Veneto Oratori in conuiuio representatos fuisse atque exhibitos.

Eodem tempore Oxonij & alijs locis haeretici aliquot supplicio affecti sunt & A. 1555. XXII. Martij Polus Cardinalis Archiepiscopus Cantuariensis renuntiatus est & quoniam finitis inter Philippum II. & Pontificem Paulum IV. inducijs vi. Id. Ianuarij in Italia bellum recruduerat An. 1556. & Galliae Rex Henricus in Pontificis partes accesserat aduersus Albanum misso Guisio, Maria Angliae quoque Regina in mariti gratiam bellum Galliarum Regi denuntiavit. Quod & ipsi & An-

T glia

pliæ regno perniciem non leuem attulit. nam Caletum & alia quædam eis mare loca perdidit, & occasionem calumniarum male affectis imprimis hæreticis præbuit, qui suæ causæ quantumuis malæ stabilendæ intenti calumnijs Mariam Reginam Catholicam proscindebant, & vulgus iritabant, & coniurationi nouæ scabellum adiecerunt. Itaque non multo post coniurato de regibus, Legato Pontificio, ac toto regni Senatu è medio tollendis inita, in lucem venit: eamque ob causam Thomas Hauardus, Graius, Troginoronus, Careus, & alij partim in custodiam dati, partim etiam supplicio sunt affecti. Tum hæc tum alix atque etiam ab ipsius sacellano, qui post sacrum peractum occidendæ eius negocium suscepisse dicebatur, factæ conspirationes, reginam ita perterrituerunt, vt in publicum vix prodire auderet: adeoque in continuo mortis metu verteretur. Neque solum in Angliæ sermones varij sparsi sunt, sed etiam per Imperium, & Romæ aduersus Cardinalem Reginaldum Polum, Legatum Apostolicæ Sedis, quem Paulus IV. PP. in celsa denuntiatione belli ab Angliæ Regina facta Henrico Galliarum Regi à Legatione Anglica amouit, siue quod in dissuadenda ea denuntiatione officio pacificatoris apud Reginam defuisset, siue quod suspicaretur eum in partem consiliorum venisse, siue quod opinaretur non decere si rationes pacis præsentem Legato pacis penitus turbari, aut denique ideo quod Galli ita apud Pontificem vt fieret instruissent. Accitus est igitur Romam Cardinalis Polus, magna omnium admiratione, & quasi de religione esset suspectus, in eius locum substitutus est Guilielmus Pærus è Franciscano ordine Episcopus Sarisburiensis, quem in Cardinalium numerum cooptauerat Paulus. Sed quomodus ea assequeretur Pontifex intercesserunt diu, nempe nuntij deferentes eam dignitatem Pæro, detenti peruiam, atque mors Pæri superueniens, deinde Philippi Regi & Mariæ Reginæ intercessio apud sedem Apostolicam, vt sententia de Polo mutaretur, alioquin reuocato illo fore, vt omnia in Angliâ in peris ruerent, & Catholicæ religionis initia restaurata subneruarentur. Polus præclare tunc se sanctæ sedis vocem audire ostendit, siquidem à Roma ad eundem reueatus, insignia Legati crucem argenteam præferri solitam, aliaque seposuit, misitque Romam Ormanero, Pauli IV. a. nimum ita placatum inuenit, vt Polum exemplo

Christi ipsius, cui multa præter ius fasque obiecta sint, fuerit consolatus.

III Hæc ad initia An. 1557. fere gesta sunt, interea Maria Angliæ Regina, varijs curis domi pressa, & foris nullo solatio releuata quum esset etiam natura melancholica, viro etiam, cuius desiderium impatienter ferebat, absente, omni fere auxilio & solatio se destitutam cerneret, facile morbum contraxit: quo indies inualecente, Elisabetham, quam licet spuriam, ab Henrico VIII successioni destinatam, eamque constitutionem à regni Ordinibus approbatam esse non ignorabat, è custodia ad se euocauit, eamque in hæc promissa adegit: vt Maria è viuus sublata, Elisabetha as alienum omne è regio patrimonio dissolueret: vtque in religione vt i ea nunc est, nihil mutaret, nec hæresibus vllum locum concederet. Quæ licet Elisabetha (quæ Catholicam se hæcenus simulauerat, adeoque coram regio Senatu sanctissimum iuramentum interposuerat, velle vt prius terra sibi dehiscat, quam Catholicæ religioni vllum detrimentum inferri pateretur) quæ, inquam, licet Elisabetha promptissime facturam se recepisset; postea tamen insigni erga Deum & homines perfidia iisque deque habuit. Tandem vero Maria, accedente etiam aqua intercute, quum sacrum præsentem se celebrari iussisset, febre paulatim consumta decessit: virilis animi femina, & tanto fastigio dignis virtutibus, ad inuidiam, dum vixit, orbata, dies mortis eius manifeste incertus eo quod fieri occultata mortis fama, vt interea hæretica factionem suam ageret, telamque in posterum texeret. Hinc alij xv. Cal. Nou. alij Nov. alij 17. Nouemb. Anni 1558. mortuam scribunt. Eodem die sub tertiam noctis horam quum illa mane obiisset, è vita quoque demigravit Reginaldus Polus Cardinalis, vt non amplius quam xvi. horarum spacium inter vtriusque mortem interfuert; nec defunt qui venenis actum asserunt, sicque Angliâ ab irato flagitijs quæ multa sibi quotidie committebantur, Deo grauissime castigata, hæreticis iterum in prædam celsit. Nata fuit Maria quum moreretur, annos XLIII. & IX. menses, vno die minus: regnum vero tenuit annos v. & menses iv. in eo qui-

c. Reusnerus parte 5. operis Geneal. Henninges parte 4. operis Genealogici in Hispan & Angliâ Regibus.

quidem felix quod summo restituendæ Catholicæ desiderio flagrare; Ecclesiæ; sed in hoc valde infelix, quod Elisabethæ longe dispari feminæ regnum reliquit. Initio quidem Mariæ incredibilem magnitudinem omnia spondebant, utpote in familiam totius orbis potentissimam nuptum collocatæ: quæ tamen omnia mox instar fumi evanuerunt, magno rerum humanarum instabilitatis documento. Illud vere dicere possumus, cum Maria in Angliâ eodem veluti tumulo Catholicam fuisse inclusam religionem; & Cardinalis Polimortem, hæreseos vitæ dedisse initium. Neque enim contra Antæum ullus iam restabat Hercules, qui etiam deiectus, ex ipsa terra vires resumpserit.

IV. Defuncta Maria, Elisabetha Londinū ingressa, & magno, hæreticorum imprimis quibus dies tum primum exoriri videbatur applausu & lætitiâ excepta, pro regia se gessit: quæ licet sorore regnante Catholicæ religionis cultum simulaverit; verita tamen, ne ex quo nata fuerat matrimonio, iam ante summi Pontificis Ecclesiæque sententia etiam Augustanæ confessionis professorum è iudicio, damnato, de natalibus etiam suis & iure regnandi aliqua otireretur dubitatio, sacris canonicis subesse recusavit, & de religionis Ecclesiasticæ regiminis forma primo quoque tempore mutanda cogitavit. *Iudicio ergo passim Catholicis censionatoribus si entio, & hæreticis ex varijs ubi exularerant hæcenus, locis permisso reditu, quadam die Episcopo coram se sacrum facturo precepit, ne hostiam populo adorandam ostenderet. Quia enim Sacramentum hoc Catholicæ religionis præcipuam partem ac veluti fundamentum esse norat, in ceteris faciliora sibi omnia spondens, hoc primum abolere constituerat. Unde factum est, ut in reginam consecrate eam aut iniungere plerique omnes Episcopi recusarint, præter unum eumque ultimum. Ne tamen forte de regno tamquã minus rite id adeptæ postea moveretur controversia, Catholicorum inaugurationi se permisiit, & usurandum etiam Christiani Regibus de fidei Catholicæ defensione ac libertatum Ecclesiasticarum conservatione more maiorum præscripserit: oleo quoque unungi voluit, sed non sine risu & fastidio. nam sub papilionem parumper pro more ad regales induendas vestes divertens, nobilioribus feminis circumstantibus dixisse fertur; Abire, ne fetor huius olei vos offendat: quum tamen oleum illud omnibus gratijs refertum, & omnibus Atabicus ungentis sit fragrantius. Habe-*

bat vero in familia & comitatu suo *homines nihilis*; inter quos præcipua auctoritate apud ipsam erant Gulielmus Cæcilius Eduardo VI. quondam à ceteris, & Nicolaus Baconus J. C. qui prolubitu suo omnia administrabant. Ex proceribus vero familiariter præ ceteris utebatur Roberto Dudlæo (Northumbrij supplicio sub Maria affecti) filio; cui etiam matrimonij spem fecit & illustr.

Nec contenta temporali regno, etiam in Ecclesiasticis rebus supremam auctoritatem ad se transferre statuit: ac communi Parlamento, ut vocant, decreto, *suprema Ecclesiæ regnorum suorum, etiam in causis spiritualibus, Gubernatrix esse & vocari voluit: omnibus solemnibus iuramentis id profiteri adactus. Forma Sacramenti hæc est: Ego N. prorsus testificor & declaro in conscientia mea, Reginam esse solam supremam Gubernatricem, & istius regni Angliæ, & aliorum omnium sua Majestatis dominiorum & regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus: & quod nemo externus Princeps, persona, Prælati, status vel potentatus, aut facti aut iure, habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam aut spiritualement in hoc regno. Ideoque plane renuncio & repudio omnes exterorum iurisdictiones, potestates, superioritates atque auctoritates.*

Quum vero iuramentum hoc à Catholicis damnari, nec Calvinistis etiam placere animadverteret, ut qui dicerent, eo reginæ longe ampliorem auctoritatem quam Henricus aut Eduardus sibi vindicarent, tribui, eius expositionem seu correctionem quandam publicari iussit, nimirum se non aliud hic velle aut vindicare, quam quod prius patrifratrisque ab Ordinibus regni tributum esset. Sed ut quibus in rebus hæc spiritualis seu Ecclesiastica potestas maxime consistat, intelligatur, breviter leges & decreta Parlamento eam in rem facta commemorabimus.

In primis illa habet lex, *Omnia privilegia, præminentia, prerogativa, superioritates spirituales, quæ ab illa potestate, vel humano, vel ecclesiastico iure, haberi aut exerceri possunt, quoad visitationem, correctionem: seu reformationem cleri totius seu quarumcumque personarum ecclesiasticarum: ad cognitionem etiam ac punitionem omnium errorum, ac hæresum, schismatum, abusuum, &c. Volumus in posterum quod Regio sceptro in perpetuum sint annexa.*

Decernimusque Reginam suosque heredes ac in regali dignitate successores, habere habiturosque esse deinceps, omnimodam potestatem nominandi & substituendi quoscunque voluerint, qui eorundem vicari ac autoritate, eandem iurisdictionem ecclesiasticam exerceant pro beneplacito suo, personas visitent, hereses, schismata, errores & abusus castigent, aliudve quidvis iuris vel potestatis exerceant, quod ab ullo unquam ecclesiastico magistratu exerceri potuit, aut oportuit.

Decernitur itam, ne clerici ad synodum ullam, aliorum quam regis literis & mandatis conueniat, neve ullam canonem, legem, constitutionem synodalem seu prouincialem, vel faciat vel exequatur, sine expresso maiestatis sue consensu & licentia huiusmodi canonum faciendi, promulgandi vel exequendi sub pena carceris & multa pro Regina arbitrio imponenda.

Decernitur ne quis exeat regnum ditionesque sue maiestatis, ad ullam visitationem, concilium, conuentum aut congregationem, uia religionis causa uspiam fiat, sed ut talia omnia, regia autoritate intra regnum fiant.

Item, ne Episcopi, vel ullius nominatione, vel electione, vel ulla autoritate alia quam regia creentur, neve iurisdictionem potestatemque Episcopalem teneant aut exerceant, nisi ad beneplacitum Regine; nec aliter nisi per ipsam, & à regali maiestate derivatam autoritatem.

VI. Ex hæc quidem spiritus huius & Noui Pontificatus leges sunt & Constitutiones. Quo vero proceres tanto magis sibi ac facilius deuincunt, Ecclesiasticas possessiones à Matia Clero restitutas, rursus involauit, illis in partem prædæ vocatis: Commissarios etiam qui rerum Ecclesiasticarum curam haberent constituit, & in eis expediendis certo sigillo uti iussit: tum omnia contra hæreticos promulgata decreta aboleuit, nec quemquam pro hæretico haberi voluit, nec aliquam opinionem pro hæresi damnari, nisi omnium Ordinum consensu. Atque ita exules hæretici sub Maria Regina depulsi in Angliam abnuatim à Gallia Germaniæque & c. locis remearunt: quorum opera prima sui Primatus assumpti fundamenta iecit, nam Episcopatus aliqua ratione vacantibus Hæreticos ex exilijs reduces imposuit. Sarisburiensis quidem Episcopatus, per mortem tam Petri Perouui Cardinalis, quam Cardinalis Poli, vacantem Ioannem Ieruellum, qui deinde Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ pro Elisabetha scripsit. Hero-

fordiensis autem contra nominatum à Maria Regina Thomam Raynoldum Exorientem Decanum imposuit Ioannem Soletum, Roffensis Edmundus Gueft. Glocestria defuncto recens seu naturæ fato seu malis artibus hæreticorum (quorum non paucos exuri curauerat) Iacobo Bioco Catholico An. 1539. Initio Februarij impositus est Richardus Cheynæus Lutheranus, ut Germanos protestantes sibi demereretur. Bristolis vacanti Richardum Cheyney, Menepensis An. 1550. 21. Ian. Thomas Yong. Iaphensis Richardum Dauyes 21. Ian. 1550. & Dunelmensis Iacobus Pilkinton. denique Ioannes Parchutst, qui Norwico præpositus est. Omnes fere ex exilio reuerfos, tamquam Fidei confellores, reuera subuersores. (d)

Quum vero ne sic quidem satis omnia quæ vellet stabiliuisse sibi videretur, Ordinum consensum, sine quo nihil, & cum quo omnia poterat, procurandum sibi putauit. De Parlamenti Angliæ forma supra diximus. Postquam ergo reginæ operam adhibuisset, ut ex singulis prouincijs & ciuitatibus in alteram Curiam, quæ Inferior domus dicitur, ij cooptarentur quos ipsa suis maxime rebus commodos existimabat; facile obtinuit, ut quidquid proposuisset, ab hac comprobaretur. In prima autem Curia seu Domo superiore plerique illam deprimatæ Ecclesiastico propositione detestabantur, Episcopi in primis, quin non ita multo ante regni reconciliandi causa legationem obtulerant Solus Cardinalis aliquis Polus desiderabat, qui reliquorum sententijs sua auctoritate pondus adderet. At regina ad astum conuersa, quum Atundelio Comiti nuptiarum spem fecisset, ita tamen ut de generis dispensatione (erant enim cognatione iuncti) à Pontifice impetranda spem nullam, esse diceret; facile eum ad suas partes adiuuauit. Et profecto nihil est quod homines facilius decipiat, aut in nassam ille det, quam summa dignitatis spes. Quotusquisque Princeps est, qui ut regnum assequatur, non omnia posthabeat? Violentissimæ est ambitio: numquam ea qua retro sunt, sed qua oculis tantum obseruantur, aspiciens. Cullis aculeum prius vix sentias, quam tumore prodatur Sic Atundelij Comitis animus promissis & blanditijs reginæ delentus, venenum sub eis latens initio non animaduertit, at vim eius tandem magno cum suo malo sensit. Inscatus ergo fallaci spei hamo, causam reginæ strenue agebat. Et.

d. Godvvinus in præsulibus Angliæ.

Et quamquam initio pauci assentirentur, tandem tamen schismata pars perucit ea, quæ à Deo stabat, succumbente, & Ecclesia pessum eunte. Elisabetha voti compos, procum hunc postea neglexit. Interea homines prophani controuersas religionis decidunt, & diuini cultus formulam præscribunt; inter mendaciorum strepitum Veritate prorsus silente. Communi & vniuersali hominum opinioni multum tribuendum esse etiam Ethnici dixerunt. Apud Christianos quidem vniuersalis ille in fide consensus certissimum Veritatis testimonium esse debet. At hic contra vniuersalem consensum Ecclesiæ, contra communem totius Antiquitatis vocem, contra præscorum Patrum decreta confusum opinionum chaos miscbatur, quarum nec pes nec caput apparebat. Egyptij olim Græcis exprobrasse dicuntur, quod plerique inter ipsos pueri essent, id est, in antiquitatis cognitione parum veriti. (d) Quanto magis id de hæreticis vsurpati potest? ut qui in religionis negotio sui tantum cerebri commenta sequuntur; omni interim Antiquitatis & Ecclesiæ auctoritate contemta. Sed ad Arundelium redeo; cui post hanc iudicationem multum auctoritatis decessit. Alter vero, Norfolciensis scilicet Thomas Hauuardus quem itidem ad suas patres blanditijs alllexerat, non auctoritatem tantum, postea verum etiam vitam, capite ex Elisabethæ iussu multatus A. 1572. amisit, veluti Natalis habet suspensus & in partes dissectus, veluti læsæ maiestatis reus. Episcopi qui Parlamenti decretis assentiri nollent, dignitatibus deiecti fuerunt, vno solo excepto. Accidit id A. primo Elisabethæ Christi 1559. quo Eliensis Episcopus Thomas Thirlbaeus reformationi Elisabethæ resistens in Turrim Londinensem est coniectus, & Liacolnienfis Episcopus Thomas Wathonas custodia datus, uti & Conuentrenfis atque Lichfeldensis Radulphus Baynus, ac Gilbertus Bournus Bathoniae ac Wellensis Episcopus tum Exoniæ Iacobus Turberuilius. Norwici Ioannes Hoptonus. Vigornia Richardus Patus. Cistertrensis Ioannes Christophersonus, Petroburgensi David Poole. Eboracensis Nicolaus Heath. Dunelmensis Gurbertus Tonstallus. Carleolensis Orvinus Ogelthorp. omnes ex auctoritate à Noua Primare & Parlamento, substitutis ijs quorum nomina describi cenfeo indignum. Vnus, inter omnes Episcopus sub Maria Regina receptus, Landauenfis Antonius Kitchin Dunstan ex Monacho Westmonasterienfi Episcopus ad æternam nominis sui

ignominiam Iuramento de primatu Elisabethæ subscribere non erubuit. Itaque sæculares principes clerum deserendo patriam suam infinitis calamitatibus subiecerunt, quibus ipsi postea miserabiliter inuoluti fuerunt. (e) Alias certè Clerus summa constantia utebatur. Feriæ Dux, qui tamquam Legatus Cæsaris hæctenus consilij interfuerat, vbi miseri omnia vidit, impetrata à regina facultate è regno discessit, cumque eo Catholici non pauci, qui hæresos iugum ferre recusabant; quibus deinde Hispaniæ Rex laudabili in primis liberalitate ad subleuandas vitæ necessitates subuenit.

VI. Quam in ceteris Christianæ Reipublicæ regnis hæreses fere ab inquietis & turbulentis hominibus inactæ & stabilitæ sint; in Angliæ schisma ab ipsi Regibus ortum habuit, ut Regale merito dici possit. Primam ei fenestram aperuit Henricus VIII. quod ab Eduardo forum & auctum, tandem sub Elisabetha totum regnum occupauit. Ecce vero: vix regno inaugurata fuerat Elisabetha, quom ad eam fama perfertur, Mariam Scorix reginam, Galliarum regis filio primogenito Francisco Valerio quem Delphinum vocabant, nuptam Anno 1558. Aprilis mense pro Angliæ regina legere, cumque titulum & insignia publice vsurpare. Credibile sane est, ob hanc iniuriam (vbi videri volebat) Elisabetham postea in miseram illam reginam, defuncto marito, tanta perfidia sæuissimè ut infra ostendam Elisabetha grauissimi bellimetu implicata, à pecunia etiam & opibus pro necessitate parum instructa, regno insuper in factiones scisso ac distracto, quom omnia disperxisset, non modo tantis se difficultatibus expediret, verum etiam rete contexit, quo miserabilem illam reginam inuoluit. Regnum sæuitiæ & crudelitatis vitæ dissidentia utebatur. Tantum vero aberat ut regni consortem sibi ascuerit, ut etiam potentissimos orbis Principes inani spe iudicaret, seque dixerit Virginem permanfurum, ac velle ut in marmore sub quo sepulta iaceret, hæc verba inscriberentur: *Hic sita est Elisabetha, qua (tot) annis Regina, & tota ætate sua Virgo fuit.* Pulcrum sane elogium; si se tam verum quam verbis splendidum fuisset.

Porro optimatibus iusurandum illud salua conscientia se præstare non posse dicentibus, curauit ut sæculares Principes exciperentur, mo-

T 3

do

e Herodotus.

do suis suffragijs Episcopos clericosque ad hoc iuramentum lege compelli permitterent. Ita multi ex magnatibus hac cautione pulcre sibi prospectum putantes, de Episcopis ac Pastoribus suis non multum curarunt, eosque irreligiosis istis legibus obnoxios reliquerunt. Quod strategema illa in patris schola didicisse videbatur. Hic enim quum ad monasteriorum Religiosorumque bona occupanda animus adiecisset, facile in comitijs quod voluit effecit, non solum per Principes laicos, sed etiam Prælatos Ecclesiasticos sæculares, qui parum sua interesse putabant quid de Religiosis personis rebusve monasticis statueretur: sed tandem & ipsi postea in prædam cesserunt. In hac tanta rerum perturbatione Nobilitas fere omnis quæ ab aula aberat, vt & populus magna ex parte Catholicam sequebatur religionem. Sola Londinensis vrbs & aula regia maxime erant corruptæ. Principes plerique Calvinismi studium palam simulabant, clam tamen Catholicorum more viuebant. Ne vero aut reginæ gratia aut muneribus & dignitatibus exciderent, Calvinistarum conciones quidem publice audiebant, domi vero sacrum Catholicum ritum sibi peragi curabant; sic Deo & diabolo simul seruientes. Sed Principes illi Prælatos Ecclesiasticos desertos passim, & ipsa tandem à Deo deserti, miserabiliter perierunt.

ANGLORVM RELIGIO AB ALIIS  
sectis in quibus differat. Elisabetha religionem  
mutat, retentis tamen quibusdam ex Ca-  
tholica Ecclesia, &c.

## CAPVT XI.

## ARGVMENTVM.

- I. De religione Anglorum: & quomodo ea, tam ab alijs heresibus, quam Catholica fide, differat.
- II. Disputatio inter Catholicos & Calvinistas habita: postquam Missa abrogata, & Episcopi atque alij Catholici varijs modis fuerunt afflicti.
- III. Pius V. Papa Angliam anathematis fulmine percussit.
- IV. Elisabetha regina in rebus spiritualibus & ab Ecclesia dependentibus magnam sibi auctoritatem impio sumit.

V. De Anglicanis in Belgio, Gallia, & Roma Seminarijs. Item de Martyrologio hereticorum.

VI. Elisabetha S. Crucis signum in honore habet & Calvinistas reformationem à se præscriptam amplecti cogit.

**N** Vmquam Africa, monstrorum parens, ob monstrosos diuersorum animalium inter se congregantium partus à veteribus dicta, vllam tigridem tam maculosam, aut quamcumque aliam bestiam tam variegatam pelle produxit, quantam Anglia in Leopardis suis, quibus pro insignibus vititur, non quidem coloribus, sed religionum sectis, earumque legibus ac ceremonijs plurimum inter se discrepantibus, varietatem ac difformitatem ostendit: cuius nos hicaliqua lineamenta leui penicillo adumbrata, toti orbi spectanda proponemus, vt lectores hæreseos multiplices formas non cognoscere tantum & admirari, verum etiam detestari discant. Elisabetha quidem (cui Leopardos pro insignibus nemo inuidere debet) cæconatu tam variam, versipellem, ac confusam ex omnibus sectis Ecclesiam ædificauit, vt quamuis nihil fere Catholicum habeat, tamen nec Hussitica, nec Lutherana, nec Zuingliana, nec Calviniana, nec Carabaptista dici possit, & tamen ex omnibus aliquid in ea agnosci possit: à Catholicis sterum exteriorum cortices & ceremonias, à sectarijs cultus interiora & doctrinam mutuata. Primum ergo Visitatores constituit, qui religionem ad eam formam qua sub Eduardo VI. fuerat, reformarent. Dignitates Ecclesiasticas quibus vellet, distribuit. Episcopos consecrat, vestitum Ecclesiasticis præscribit, ceremonias aliaque quorum mysteria non caperet, proseribit, pro lubitu denique omnia fert & agit. Cum Gallis Calvinistis non leuis, ei erat contentio, quos nimis multa reijcere, & religionem omnimodis nudatam sequi dicebat: vt & Haggonora quidam Vasco, Catholicorum religionem nimis pinguem, Calvinianorum nimis macram esse dixit. Ecclesiasticos etiam à laicis vestitu discer- ni omnino volebat: quæ etsi tamquam superstitiosa & Papistica, expienderent Calvinistæ, illanihilominus in sententia persistabat, inquiring Deum semper excernis ceremonijs coli voluisse, altaria, cereos, suffragationes Veteris legis esse approbata.